VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI

DE FELICI S.D.N. GREGORII XIV. PONTIFICATV

AD AMPLISSIMOS S.R.E. CARDINALES ORATIO,

Habita in Baſilica S. Petri XV. Kal. Februarij Anno ſalutis humanæ M. D. XCI.

EDITIO SECVNDA.



Romæ, Apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem. M. D. XCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD SANCTISS.

D. N. GREGORIVM XIV.

Vincentij Blaſij Garciæ Valentini,

PRAEFATIO.

QVOTIESCVNQVE, Beatiſsime Pater, ſeſe aperientis anni, maximamq. rerum omnium non modo copiam, & affluentiam, ſed etiam vilitatem pollicentis gratiſsima ſpecies loquendi libertatem vel timidiſsimis afferret, ſolebant veteres, ingenioſi quidē homines, & acuti, hoc vti prouerbio; Magnū os anni. Etenim agricolæ, diligentiſsimum hominum genus, magnifice loqui, prolixe promittere, effuſe exultare conſueſcunt, cum illis, poſt inopiam, & annonæ caritatem, malamq. vt ait Seneca, ſegetem, minime dubia ſpes vberioris quæſtus inijcitur. Tunc læti, & alacres in publicum prodeunt; ſalutant libenter; feſtiue iocantur; obuios quoſque manu prehendunt; &, qui paulo ante famis metu fracti, ne hiſcere quidem audebant, perurbani, mireq. dicaces, iucundos cum amicis ſermones conferunt, eoſq. ampliſsimis pollicitationibus beant. Quod ſi vllum vnquam tempus magnum os anni appellari aut debuit, aut potuit, hoc vnum profecto eſt, in quo tam multa nobis optata, atque felicia contigerunt, vt ab incredibili difficultate ad ſummam rerum copiam, & facultatem traducti, renaſci prorſus, atque viuere videamur. Fames inuſitata, ac pœne in omni memoria inaudita, tua, Sanctiſsime Pontifex, diligentia, liberalitate, miſeratione ſic depulſa tandem eſt, vt diuinum numen, quod eo grauiſsimo, & atrociſsimo, ſed iuſtiſsimo, ſupplicij genere pœnas a Populo Romano, ob delicta, expetiuit, ad tuam ſapientiam, cuius precibus, & lacrimis placatum eſt, ſpem omnem noſtræ ſalutis contuliſſe videatur. Hinc tanta rerum, & hominum cōſecuta mutatio, vt, quæ antea ſquallebant, niteant; quæ mœrebant, noua quadā lætitia exultent; quæ ſilebant, in voces, gratiarum, & gratulationum plenas, erumpant. Accurrunt ex omnibus terrarum partibus legati, viri nobiliſsimi; &, quod aliquando, cito futurum, certis innixus coniecturis, prædixeram, oratores

lectiſ-

..cuiſsimi omnes eloquentiæ opes effuderint ſuæ. Intermiſſus bellicus apparatus repetitur; delectus habentur; conſcribuntur milites; fortiſsimi deliguntur Duces, qui ornatiſsimas, & Chriſtianæ religionis propugnationi, & propagationi deuotas, ad immaniſsimorum hoſtiũ, niſi reſipiſcant, perniciem, copias educant. Itinera, a graſſatoribus intercluſa, ac obſeſſa, iam omnibus, vndique Romam confluentibus, patent; interrupta quæ pendebant, opera ad faſtigium, eximio, & eleganti artificio, perducuntur; noua rerum facies nouam orbi terrarum iucunditatem attulit, & hominum animos, mœrore deiectos, ad ſpem magnæ felicitatis erexit. Principes ipſos, qui, vetere inſtituto, per internuntios agere cum Summis Pontificibus cõſueuerant, neque ſæuiens Canicula deterret, neque valetudinis incommodatio retardat, neque ætas ingraueſcens impedit, quo minus & Sanctitatem tuam, humi procumbentes, auguſte, ſanctéq. venerentur, & Vrbem Romam, e profundo acerbiſsimarum calamitatum, te, dexteram, fide, charitate, omniq. virtute præſtãtem, benigniſsime porrigente, emerſam, inexſpectata voluptate perfundant. Quid multa? Ego (vt magnis parua conferã) qui nondum alicuius publici auctoritatem loci contigeram; qui, infantiæ conſcius meæ, lucem, & celebritatem ſemper vitaueram, diutius intra domeſticorum anguſtias parietum contineri non potui; ſed in publicum vſq. adeo repentinus bis prodij, vt, ſi minus ob illas, quas commemoraui, cauſſas, ob hanc certe vnam, tempus hoc, Magnum os anni appellari iure poſſit, quod mihi, homini obſcuro, & ignoto, ſilendi finem attulerit, idemq. initium, alieno quidem ſenſu, ſed meo priſtino more, dicẽdi. Secutus enim alienam voluntatem, duas, poſt longum ſilentium, orationes habui, & eas quidem intra breuiſsimum tempus; de felici Beatitudinis tuæ Pontificatu alteram, alteram in funere Ludouici de Bar Senonenſis, integerrimi viri; vtramque pœne fuſam ex tempore. Nam hic meus priſtinus mos eſt, conſuetudoq. dicendi, vt plus mihi temporis ad perorandum, quam ad meditandum, concedatur, quod eo dolentius ſcribo, quo ſæpius contingit. Nec tamen mihi venit in mentem huius meæ facilitatis, & nimis promptæ ad parendum, voluntatis pœnitere, cum poſterior a multis certatim expetatur oratio; prior & in auguſtiſsimo illo chriſtiani orbis Theatro, dum recitaretur, magno ſilentio audita ſit, &, Cardinalem de Mendoza nacta patronum, omnes ſpes meas ſuperauerit. Nunc vero, cum ad tuas Sanctiſsimas, & omne animal, ſimul ac aperiuntur, benedictione implere ſolitas, manus peruentura ſit, cuius præmij ſpe vigilem, aut quid laborem amplius? Jlla quidem gradum fecit a magnis ad maxima; ego, vt aiunt, ex glacie chriſtallus euaſi. In quo, tametſi Beatitudinis humanitatem tuæ, &, qua potiſsimum eius ſimilitudinem refers, cuius in terris perſonam geris, charitatem admiror, Marcelli tamen Veſtrij Barbiani, clariſsimi viri, diligentiã, ſtudium, & contentionem ſummam agnoſco. Ille enim aditum mihi ad Sacratiſsimos tuos pedes quæſiuit: ille ſua me, qua eſt eloquentia, & perſua-

dendi vi,commendatione meliorem efficiens, apud Sanctitatem tuam in gratia poſuit:ille auctor fuit,vt hanc orationem,ſolo argumenti beneficio nobilem,in quam,dum,meis diffiſus,alienis oculis aſſentior,immunerabilia menda irrepſere,iterum ederem,editam Sanctitati tuæ dicarem. Vetabat primo pudor meus,& innata timiditas; deterrebat deinde, ad diuinam proprius accedens, Maieſtas Pontificia: vicit tamen Pontificis Gregorij XIV. benignitas,& humanitas,atque fecit, vt frãgam ipſe me,atque de curriculo verecundiæ deflectens,illam ſupplex,& iuſta veneratione demiſſus, Sanctitati offeram tuæ.Erit hæc,vt ſic loquar,oblatio non iniucunda, cum ob alia multa,tum ob hoc præcipue,quod,cum melle adulationis,& ambitionis fermento careat,ſalis tamen,ideſt,diuinæ prudentiæ tuæ, qua nobis ſalutem peperiſti,habeat plurimum.Et quidem ea eſt Pontificatus gloria, vt non modo nullum adulationi locum relinquat,quia Summus, & a Deo profectus, verum etiam quaſuis laudes vel exquiſitiſsimas vulgares, ingentes perexiguas,ampliſsimas tenues,quia ſit,te Pontifice,Pontificatus, efficiat. Tibi enim ad perpetuam, atque conſtantem in vniuerſum orbem voluntatem,è diuina pendentem,declarandã,quanta homini a Deo dari ſolet tanta bene agendi occaſio oblata eſt,in occaſione ea commoditas,in facultate ea poteſtas,vt hæc ſit rerum omnium, illam nihil humanũ impediat. O te vere Põtificem Maximum,& modis omnibus beatiſsimum Patrem, cui & ad dignitatem ſanctiſsima ornamẽta,& ad ſtabilitatem cæleſtia præſidia,& ad laborum alleuationem certiſsima,& domi nata adiumenta,non ſine diuino munere,contigerunt. Munere ſiquidem diuino, & numine factum eſt, vt nati ſint tibi tres ex fratre filij, tanta inter ſe beneuolentia, vt eorum mira ſit conſiliorum,voluntatum,ſententiarum cõſpiratio,atque conſenſus;tanta erga ſanctitatem tuam obſeruantia, vt vocem pro oraculo, voluntatem pro lege,nutum pro imperio habeant; tanto in Rempub. Chriſtianam ſtudio,vt illius ſalutem anteponant ſuæ; tanta in Deum pietate,vt ſe vri, ſecari,feris obijci, inſui inculeum non recuſent,modo verus ipſius cultus,& religio in omnes oras, parteſq. terrarum propagetur. Ex hac animorum conſenſione, atque acerrimo humani generis iuuandi ſtudio nata eſt illa,non fortuito,non temere,ſed perſapienter,& ſummo cum conſilio munerũ publicorũ facta partitio. Nam dux Hercules Sfondratus, vetere illo Hercule clarior,collecto firmiſsimo, ac fideliſsimo exercitu,in Galliam proficiſcitur,vt illi, ſummo in periculo verſanti, maturam opem ferat;nefarios hoſtium impetus frangat;&, cum res ita poſtulet, ſuo ſanguini non parcat: ſed libenter mortem oppetat, ſi ea Sedi Apoſtolicæ, in qua omnia noſtra poſita ſunt,& conſecrata, profutura videatur. Marchio Franciſcus Sfondratus in Vrbe manet,vt publicæ ſecuritati conſulat;in omnes caſus intentus, ad omnia pericula excitatus, excubias agat, & tanquam in Reipub. ſpecula cõſtitutus,diligentiſsime caueat, ne, dum externi hoſtes comprimuntur,& coërcentur,domeſtici, ſi qui ſint, nocendi lo-

Dux Hercules Sfondratus.

Marchio Franciſcus Sfõdratus.

cum

cum habeant, Quid Paulus Card. Sfondratus, flos omnium litterarum, omniúq. virtutum? Num tanta, tam repentina, tam inexſpectata dignitatis acceſsione, vt comes eſt rerum ſecundarum arrogantia, inſoleſcere cæpit? Quis illo humanior? quis mitior? quis vniuerſo hominum generi, ſermonis affabilitate, iucundior? Num ſese delicijs, ac voluptatibus, in tanta morum licentia, tradidit? Quis caſtior? quis integrior? quis ſanctior? Num communem Naturam ſecutus, quæ procliuis eſt a labore ad libidinem, otio diffluere maluit, quam laboribus, & curis exerceri? Ille quidem & domeſtica diſciplina inſtructus, & fraterno exemplo cõmotus, &, quod mirabilius eſt, ſuo ſenſu ductus, ſed multo vehementius tuis, Beatiſſime Pater, vocibus incitatus, ſic publicam cauſſam ſuſcepit; ſic ſeſe grauiſsimis negotijs immiſcuit; ſic cunctã Eccleſiam Romanam complexus eſt, vt Sanctitati tuæ, maximam cæli, terræq. molem ſuſtinenti, quaſi ſocius, & glorioſiſsimi conſors laboris acceſsiſſe videatur. Hæ ſunt tres illæ propagines, ex quarum vuis, repente maturis, eorum, qui pocula Regi miniſtrabant, Præfectus, expreſſum, manu ſua, vinum Pharaoni porrigere in ſomno ſibi viſus eſt. In hac vita, ſomno ſimillima, in hoc mundi carcere, Sacrorum Princeps, & miniſtrorum Dei Præfectus, ex illis tribus familiæ tuæ, quauis fructuoſioris vitæ, Heroibus eas virtutes, eas actiones, imitatione tuarum, elicuiſti, vt nectare, & ambroſia ſuauiores, ipſi Regum Regi non poſsint non eſſe gratiſsimæ. Erit ergo nemo tam vitæ communis ignarus, nemo tam rudis in repb. nemo tam parum de ſua, deq. aliena ſalute cogitans, qui nõ cenſeat Deum Opt. Max. aſsiduis cum precibus, tum lacrimis obſecrandum, vt non ſolum Sanctitatem tuam in iſto munere diutiſsime verſari velit, ſed concedat etiam, vt vitam tuam, ex qua noſtra omnium pendet, totius Eccleſiæ votis, & humani generis ſalute definias. Sic enim fiet, vt Reſp. Chriſtiana, quæ inuitis, & fruſtra repugnantibus infenſiſsimis eius hoſtibus, immortalis eſſe debet, in vnius immortalis anima conſiſtat; &, cuius gloria vix cæli complexu capi poteſt, eius vita, diuinæ ſimilis, æuo ſempiterno perfruatur.

Paulus Cardinalis Sfõdratus.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

DD. IOHANNEM S. MARIAE TRASPONTINAE PRESBYTERVM CARD. DE MENDOZA, HISPANIARVM PROTECTOREM,

PRAEFATIO.

QVEMADMODVM, Illuſtriſs. Card. natura fit, vt, quo Sol altior circumfertur, eo arcus illos, qui in cælo, varijs coloribus inſignes, apparent, minores efficiat, ita occulta quadam vi, euenit, vt, quo vberior, & copioſior, ad dicendum, ſpecioſior ad illuſtrandū materia ſuppeditat, eo ſit ieiunior, & incultior dicentis oratio. Rerum enim ſummā copiam ſumma verborum inopia ſæpe conſequitur; ſplendor quæuis obſcurat ornamēta, quoduis ingenij lumē extinguit; magnitudo, atq; præſtantia omnē vim vel acriter cōcitatæ mētis elidit ſic, vt neq; ſingulis recēſendis par memoriæ, atq; prudentiæ felicitas, neq; exornādis idoneus ſatis cultus, & elegantia, neq; exaggerādis æqualis verborum grāditas, grauitasq. ſententiarū poſsit adferri. En, cur, vbi ſe magnifice iactare, ac efferre debebat orator, ibi illius langueſcat induſtria, animus cōcidat; totaq. ars ipſa, onere ſuſceptæ rei grauiſsimo nō preſſa modo, ſed etiā oppreſſa, ſuccūbat. Vt iā obſcurum, inane, & tenue genus argumēti optandum pæne magis ſit, quā illuſtre, plenum, & amplum. In illo ſi quidē cum mediocria, atq; adeo etiā minora mediocribus, requirantur, facillimū eſt & rem cum dignitate tractare, & hominum exſpectationi ſatisfacere: in hoc, præterquā quod rerum magnitudo, &, quæ ex magnitudine proficiſci difficultas ſolet, captum ſuperat, & ſpem inde ſeſe honeſte explicandi debilitat; eſt preterea hoc incōmodi, quod, quāuis plus, quā eſt cuiuſquā animo, & conſilio hominis poſtulatū, operæ nauandæ cupidus, præſtiteris, minus tamen, quā debebas, feciſſe iudiceris. Voluntas, quæ conata eſt, ſed nō abſoluit, contēptui; conatus, qui inſtituit, ſed non pfecit, ludibrio erit. Quaſi tuis res ipſa ſordibus obſoleuerit; non illa ingenij tui aciē obtuderit: quaſi tu, inſcitia tua, multum de rei dignitate detraxeris: nō te illa, amplitudine ſua, & grauitate, indiſertū, & infantē reddiderit. Id ego cum alias ſæpe, tū eo die, nō quidē præter opinionē, ſed contra voluntatem, ſenſi, cum alieno potius conſilio, quā mea voluntate ductus, Greg. XIV. abſentē, quaſi præſentē ſalutaturus, deq. felici illius Pōtificatu dicturus, in publicū prodij. Quid eo vberius argumēto; quid copioſius; quid excelſius? Quid cōtra oratione tenuius, exilius, abiectius? Nimirū inopes nos copia fecit: & feciſſet ſine dubio quēlibet, quantūuis exercitatiſsimū, & omni liberali doctrina politiſsimū. Hæc res, quæ tāta quidē eſt, quātà poteſt eſſe maxima, tuā haud obſcure lau

dē reſpicit Card. Illuſtriſs. qui ſuperioribus in comitijs, totus ad rem Chriſtianā attolendam conuerſus, nihil habuiſti antiquius, quā ſpectatā virtutē nihil duxiſti maius, quā merita; nihil diligētius obſeruaſti, quā publicā vtilitatem, atq; concordiam. Neq; vero iſta vere pia, religioſa, nobilis, & te digniſsima, mens latere potuit, nacta oculatos teſtes, reliquos ampliſſ. Card. quos ſimilis Charitas, par pietas, idē ardentiſsimum Chriſtianæ pacis, & requietis deſideriū omnibus ſecum fecerat ſenſibus coniunctiſsimos. Merito oēs boni eā felicitatē, cum a Deo diſcedunt, qui humanis rebus eo tempore ꝓuidit, quo tēpore nullū fere acerbius, nullū durius, ampliſsimis Patribus acceptā referunt, qui ſua ſuffragia ad Dei gloriā, ad vniuerſæ Eccleſię dignitatē, ad Chriſtiani populi ſalutē, ſanādaſq. impiorum mentes, omni affectu ſublato, cōtulerunt. Ratus ergo, vt ad me redeā, hāc, quæcunq. ſit, orationē, tibi, vel ea ſola de cauſſa, ꝙ de felici S. D. N. Gregorij XIV. quē præcipua quadā religione colis, Pontificatu nonnulla contineat, gratiſsimā fore, ſub Illuſtriſsimo nomine tuo in lucē edendā curaui. Collegerā, vt ingenue fatear, quædā in eum vſum, vt eis Summū Pontificē ad ſanctiſsimos illius pedes oſculandos admiſſus, more chriſtiano, ſalutarem: ſed cū id impetrare nondum potuerim, ab illis eiſdē, in orationis primā partē inſertis exordiri, non admodum inepta ratione, volui, ne totus ille, qualis, qualis eſt, periret labor. Et quidem duæ illæ, in quas tota diuiſa oratio eſt, ſic coniunctæ ſunt, partes, vt, ſi vna ab altera ſeiungatur, vtraq. ꝑ ſe cōſiſtere nō abſurde poſſit. Quid quod, prior exorſa ab admiratione, ac ſtupore, quē primus, & inuſitatus Pōtificis, & Cardinalium cōſpectus animo iniecit, eo vſq. excurrit, vt, paulatim ꝑturbatione illa, ac metu euaneſcēte, lætitia, & trāquillitate ſuccedente, & Summū Pontificē, & Cardinales, & Eccleſiā Romanā, quæ oīa Solis, Syderū, Cæli nomine ſignificantur, ſumma reuerētia ſalutet; altera in eo, quod ſibi deſumpſerat, argumento ſic inſiſtit, vt ſemper in eodem herere veſtigio conetur; vtraq. vero nūquam a ꝓpoſito, ideſt, a felici Gregorij XIV. Pōtificatu recedat. De B. Petro honorifica fuit facienda mentio, quod is, ad cuius voluntatem totam dicendi rationem accommodaui, eum mihi diem præſtituit, qui eſt B. Petri Cathedræ feſtus apud Chriſtianos, & ſolennis. Sunt quidam, vt audio, qui in hac oratiuncula vnum, ac certum deſiderent argumentum, quod noſtrum ingenium exerceret. Equidem miror hoc tantum: cum ego in ea, & in me ipſo, eius auctore, tam multa deſiderem. Hoc tamen lætor, quod vna, & eadem opera, duo, quæ optaui maxime, & quorum gratia, perpeti quiduis poſſem, neceſſario conſequar. Nam qua pietate, & obſeruantia Gregorium XIV. proſequaris, vel ex eo coniji poterit, quod, qui publicam de felici eius Pontificatu vocem primus ediderit, ex tuorum ſit numero; &, hoc munuſculo, quo multa quidē grauiora, ſed tibi iucundius nullum, gratiam tuam, in qua mihi poſita ſunt omnia, demerebor. Hæc duo tanti facio, tantiq. facienda puto, vt alterutro felix ſim, ſi cum aūt vtrumq. cōtingat, nō poſsim nō eſſe feliciſsimus.

Iohannes Baptiſta Viues Valentinus communis vtriuſque, noſtrū Patriæ ſtudioſiſsimus.

VINCENTII BLASII GARCIÆ VALENTINI

DE FELICI S.D.N. GREGORII XIV. PONTIFICATV

AD AMPLISSIMOS S.R.E. CARDINALES, ORATIO,

Habita in Baſilica S. Petri XV. Kal. Februarij Anno ſalutis humanæ. M.D.XCI.

DIVINVS Ille, non linguæ ſolum, ſed etiam, vt illis temporibus, animi, & virtutis magiſter, Plato, Car. Illuſtriſs. hunc, quem videmus, mundum ſubterraneæ ſpeluncæ ſimilem eſſe, & in ea homines vinctos ætatem degere, nihilq́. præter vmbras, a ſuſpenſa ignis face in aduerſam antri partem cadẽtes, videre ſæpe dicebat. Qui, ſi quando patefactis terræ faucibus, ex cæcis, & tenebricoſis extracti latebris, exſutiq. vinculis foras emitterentur, non dubitabat, quin rerum ſpecies, quarum antea ſimulacra cernebant, læti intuerentur; in eoq. defixi ſpectaculo, admirarentur, & obſtupeſcerent. Tunc enim veram lucem, tunc aureum Solem, mundi mentem, ac temperationem, tunc cælum aſtris diſtinctum, & ornatum, tunc inuſitatam operum, quæ ſolers, & prouida effecit natura, pulchritudinem tanta cum voluptate contemplarentur, vt ſertis, & frondibus, choreis, & cantibus, incredibilem illam felicitatem celebrarent. Hoc lõge maximi, longeq́. optimi philoſophi ſi non ab inani mendacio, ſed à recta ratione profectum eſt de rebus humanis iudicium, quã me decuit exultare lætitia, & triumphare gaudio tunc, cùm extractum ab illa ſpelunca, quo, in hanc vitam ingreſſum, natura detruſerat, excepit Roma? Quæuis ciuitas, etiam florentiſſima, ignobilis eſt angulus; quoduis regnũ, etiam latiſſimum, peranguſtum ergaſtulum; quæuis libertas, vincula, & ſeruitus; quiuis locus, etiam magno ſplendore colluſtratus, quidam ſpecus, ſi cum hac beatiſſima ciuitate conferantur. In ea ſol lucet ſine tenebris; Sydera ſplendent ſine caligine; cælum nullis nubibus obducitur; res, quantæ, qualeſq́. ſunt, ſeſe intuentibus obijciunt; cum in alijs earum tantum vmbræ vagentur. Dicam hæc quidem planius, ſi, quemadmodum facere cæpiſtis, mihi, breuiter peroraturo, attentas, ac beneuolas aures, pro mea erga vos obſeruantia, accommodare volueritis. Audiebam antea, intra meæ patriæ, quaſi caliginoſæ ſpeluncæ, compulſus anguſtias, eſſe Romæ Põtificem

Patriam appellat ſpelũcam.

Spelũca, tenebræ, & vmbræ rerum.

Maximum, qui ad Reip. Chriſtianæ clauum ſederet; ad quem rerum hu-
manarum, & diuinarum in terris ſumma reſpiceret; qui, veluti Sol, reliquo- Solſummus Pont.
rum luminum moderator, & princeps, tenebras ignorantiæ, ſuperſtitionis,
impietatis diſijceret; vitiorum ſordes elueret; ſcelerum maculas abſterge-
ret; & cunctis mortalibus, qui diuinæ legis formulam ſequantur, aditum ad
cælum, Deiq́. conſpectum, in quo æterna beatitudo conſiſtit, aperiret. Au- Cardi. Sydera.
diebam longe, lateque fulgere Sydera quædam omnium Artium, om-
niumq́. virtutum, Cardinales nimirum, viros integerrimos, & omni laude
cumulatiſsimos, qui, ſtudio proferendæ Chriſtianæ fidei vehementer in-
cenſi, grauiſsima ſuſciperent, vt neſcit otiari vera virtus, rerum onera ma-
ximarum; nec ſomno, nec valetudini, etſi valetudo ſit, ideſt, rerum omniũ
chariſsima, parcerent; reſpuerent vel honeſtas, ac licitas voluptates; &, ſi res
ita ferret, adirẽt certiſsimum capitis diſcrimen, modo Chriſtiani ſtatum or
bis florentem, atque beatum efficerent. Audiebam Romanam Eccleſiam, Romana Eccle. cælum.
reliquarum omnium reginam ſine controuerſia, & Dominam, vt cælum
aſtris, ſic pietate, religione, ſapientia, Sanctitate, diuiniſq́. virtutibus excul-
tam, vſque adeo, nihil vt ea fieri, ac ne fingi quidem poſſet auguſtius. Hæc
ego admiratus audiebam; pendebam ab ore narrantium; patrijs illis, & te-
nebris, & vinculis impeditus, vmbras tantum rerum, pro rebus ipſis com-
plectebar, & inanibus ſpectris delectabar. At, quæ fama tantum, & auditio-
ne accepta, obſeruare, & colere ſolebam, eadem ipſa, quanta, & qualia ſunt,
vere intueri, religioſe ſuſpicere, ſuppliciter venerari vt aliquando tandem
potuerim, fecit Roma, cum S.D.N. in ſublimi ſella, ſub vmbraculo, auro, VI. Non. decemb.
& purpura intertexto, collocatum, tiara, non tam lapidibus, ac gemmis
pretioſa, quam rerum miſterijs venerabili, mirabiliter collucentem, &
perſancta ampliſsimorum patrum corona circumſeptum, & ſpectandum
nobis, & venerandum oſtendit. O Roma, quæ fuit illa tunc ſpecies? quæ
omnium mentes, quaſi attonitas, atque ſuſpẽſas detineret. Qui fulgor? qui
intuentium oculos omnino præſtringeret. Quæ maieſtas? quæ cæleſti par,
aut certe ſimillima, ſic præſentium animos afficeret, ſic ſpiritu concitaret,
vt a ſe ipſis diſceſsiſſe, & in Cælum euolaſſe viderentur. Ego quidem tantã Voluptas ex conſpectu rerum.
eo die omnibus hauſi iucunditatem ſenſibus, vt illam caperedum pro virili
parte contenderem, præ illius magnitudine pæne deſipiens, mẽte commo-
uerer. Deſerebat ſe quodammodo mẽs mea, & extra ſe rapiebatur, cum ex Admiratio rerum obiectarum.
abditis illis ſedibus in hæc ſupera loca euadens, ſolidam, veram, expreſſam
rerum faciem, non ludicras imagines, vt antea, atque vmbras intuebatur.
Horrebat animus, tremebat, trepidabat, cum tenebris aſſuetus, inſolitam il-
lam elegantiam, poteſtatem humana conditione maiorem, maieſtatem,
qua nulla alia magis in terris veneranda, &, cui par reperiri non poſſet ora-
tio, pulchritudinem accurata æſtimatione, & tacita perpendebat. Dicam,
quod ſentio; & libere dicam. Non eſt tanta in Sole lux, non tantus in Luna
decor, non tantus in aſtris ſplendor, non tanta in cælo venuſtas, nihil deni-

que

quę eſt in vniuerſi natura, tanto lepore conſentiens, quod eſſe cum illo ſpectaculo conferendum videretur. Verum hodierno die, cum iam omnis ille, qui me oppreſſerat, timor abſceſſerit; manſerit mirificus præteritæ voluptatis ſenſus: cum vox, quam celebritas illa rerum, miraculo proxima ademerat, reſtituta ſit, & ego met mihi redditus, date hoc, & concedite per humanitatem veſtram, per eum, in cuius Sanctiſsimo templo ſumus, cuiuſq.

Diui Petri Cathedra. honori hic dicatus eſt dies, vt, qua S.D.N. ſi licuiſſet, non tam meo, quam bonorum omnium nomine, præſentem ſalutaſſem, eadem abſentem oratione compellem. Quanquam nunquam mihi Sanctiſs. Pater abſens eſt: heret in præcordijs; habitat in mente; verſatur ante conſpectũ. Nam queadmodum, qui Solem intuẽtur aduerſum, eandẽ, quocumq. oculos cõuertãt, perlucidi orbis imaginẽ videre videntur, ſic vbi illum ſemel aſpexi, viua quædam eius, quam ſuſtinet, imago perſonæ oculis meis ſemper obijcitur.

Ad ſummũ Pont. Salue igitur, Gregori XIV. Pontifex, re, & nomine Maxime, legitime Diui Petri ſucceſſor, inter quem, & Chriſtum nulla interiacent humana; ad quem, tanquã ad ſacram anchoram, oraculumq. cæleſte confugimus; cuius vox eſt ſpiritus ſancti viuum, ac verum inſtrumentum: ad cuius nutum, ac voluntatem æternæ beatitudinis fores occluduntur, & recluduntur; apud quem immenſi diuinæ clementiæ theſauri aſſeruantur, quos Pater indulgẽtiſsimus, verus Chriſti Vicarius, largiſsimus bonorum omnium diſtributor ad generis humani ſalutem effundis, vt toto hoc tempore, cum maximo ſuo commodo, terrarum eſt orbis expertus.

15. diebus Iubilæi.

Ad Card. Saluete vos etiam, Sacroſanctæ Eccleſiæ Principes, commemorabili virtute, ac pietate præditi, columina firmiſsima diuinæ legis, validiſsima Chriſtianæ ſecuritatis præſidia, munitiſsima veritatis, hiſce temporibus, tam corruptis, & perditis, miſerrime laborantis, & extrema fere ſpe pendentis, propugnacula.

Ad Eccleſi. Rom. Vinea. Salue deniquẽ Eccleſia Romana, lectiſsima Chriſti Sponſa; ſalue, cultiſsima, & inexplicabili artificio a cæleſti Agricola conſepta, & cõſita, Vinea, cui Agnus Dei ſempiternam, ſuo precioſo ſanguine, fœcũditatem conciliauit; quam Spiritus Sanctus diuino rore aſsidue irrigat; à qua inſanos immanium hoſtium impetus propulſat; tonitrua, fulmina, grandines, tempeſtates auertit.

Columba. fides nidus. Salue, mitiſsima Columba, quæ tibi nidum in ſanctiſsima fide conſtruxiſti, vbi molliſsime cubas, tutiſsime degis, feliciſsime conquieſcis. Tuos volatus, nulla in extremitate conſiſtentes; ſed infinitatẽ omnem peragrantes, cæleſtis præſidij confidentia, atque adeo etiam ſpes ipſa proſequitur.

Spes comes actionum. Charitas ſoboles. Greg ideſt, vigilans. Altera pars vacat. Tua Soboles in ardentiſsima Dei, & Proximi charitate propagatur. Pro te vigilantiſsimi Patres perpetuas excubias agunt, vitam, &, ſi quid eſt vita charius, pro tua, cum opus fuerit, incolumitate profuſuri. Tui cuſtodiã ſummus ille pacis auctor, munerũq. largitor, Gregorio XIV. cõmiſit, vt, quod nomine præſefert, re ipſa præſtet, teq. puram, intactam, illibatamq. tueatur, atque conſeruet. Quo in munere ità ſe Beatiſsimus Pater gerit, vt proxima illius creatio diuinæ potius prouidentiæ, quam humanæ pruden-

tiæ

tiæ referri debeat accepta. Enim vero ſi vllis vnquam comitijs declaratum eſt, non humano iudicio, ſed diuino cōſilio, nō hominū munere, ſed præſenti Spiritus Sancti numine, Pontificatum dari, id quidem ſuperioribus ita patefactum eſt, vt nullus impoſterum ineptis ad dubitãdū, ad ignorandum ſtupidis, impijs, & totius religionis contēmptoribus ad negandū relictus ſit locus. Vt enim in tanta diſſentiendi materia, tãtaq. varietate, atque diſsimilitudine ingeniorū vnus eſſet omnium ſenſus, vna mens, vna voluntas, vt, æquiſsimis cęterorū animis, ei vni dignitas deferretur, qua nulla in terris auguſtior; vt, in tam admirabili, & exquiſita lectiſsimorū, diuinorūq. virorum copia, is potiſsimū eligeretur, qui minime omniū ambiens, minimeq cogitans, in illa, cælo proxima, ſede merito, iureq. optimo collocatus cenſeatur, auctor ille fuit, qui ex ipſis amoris flãmis, quibus ſe Pater, Filiuſq. cōplectuntur procedens, pietatis eſt fons, charitas ipſa, & pignus cæleſtis hęreditatis. Is afflictam Eccleſiæ ſuæ miſeratus cōditionē, immortalę veritatis, & ſapientiæ lumē ſacro collegio prætulit, ne, in tã ancipiti, grauiq. negotio, cogitationes illius, ac ſtudia a cōmuni bono, atque ſalute aliquis fortaſſe, vt homines ſunt, error auerteret; ne deliberãdi maturitatē præceps nimis vrgeret alacritas; deligendi prudentiã humanus affectus impediret; declarandi celeritatē aliqua moraretur offenſio. Hinc factū eſt, vt qualē Eccleſia, innumerabilibus cincta periculis, Præſidem, Petri nauicula, ſæuiſsimis ventorū turbinibus, atque procellis agitata, Gubernatorem, piorū, & ex animo fidem colentium, Grex, aſsiduis immanium luporum inſidijs circūuentus, Paſtorem, Chriſtiana Reſpub. peſsime affecta, & prope depoſita, Medicū deſiderabat, talem Spiritus Sanctus elegerit, ampliſsimi Patres, diuinæ voluntati parere ſoliti, & Vrbi, & orbi renūtiarint. Nam qui vos, Cardinales Illuſtriſsimi, Summorū Pontificū voce, in iſtum, celſiſsimo vicinū, gradū honoris euexit, ille idem, percauto, ac diligenti veſtro delectu, Ieſu Chriſti Vicarium, & Petri Succeſſorē, Chriſtiano populo implorante, temporibus Reip. flagitantibus, declarauit. Conuenerat inter duos fratres, celeberrimos ſtatuarum artifices, Teladæum, arbitror, & Theodorum, vt ex duobus ſaxis vnum fabuloſi cuiuſdã numinis ſimulacrū efficerēt, laborem ita partiti, vt alter in Samo caput, & ſumma pectoris, alter reliquū corpus Epheſi politiſsima arte perficeret. Abſoluto iam penſo, cum vterque ſuum opus cum alterius opere collaturus accurriſſet, illius tam apta, ac eleganti ſimilitudine partes cōuenere, vt, nō ex duobus ſaxis duorum artificum, ſed vnius ex vno lapide artificis opus crederetur. Quos enim diſtantia loci a mutuo colloquio, & cōſultatione ſecluſerat, eorum mētē primum, deinde mentis miniſtras, manus, omnibus abſoluta numeris, & ſemper ſui ſimilis, ab arte præſcripta ſculpendi ratio ſic rexit, ac moderata eſt, vt in vnã integræ ſtatuæ faciem, mira cōſpiratione, conſenſerint. Non equidem dubito, quin, quæ veſtra prudētia eſt, & acumen ingenij, intelligatis, quo hæc mea tendat oratio; pergã tamen vel ineptus mei ſenſus interpres. In effingendo

Pōtificatus Spiritus Sãcti munere datur.

In deliberãdo maturitas, in eligēdo prudentia, in declarando celeritas.

Pauſanias actor.

Pythij Apollinis.

Huius artis genus Gręcis ignotū, Ægyptijs vſitatum.

ſummi, æterniq. Sacerdotis ſimulacro, veſtræ fuerũt partes ſtatuere, atque decernere, qui rerũ ſummæ præficiendus, cui cæli Claues à Deo tradendæ eſſent; noſtræ vero eum optare, cuius ſapientiæ, fidei, poteſtati dignitatẽ noſtrã, ſalutẽ, incolumitatẽ, aras, templa, diuina omnia, & humana cõmittere mus. Vos in vnũ collecti, & in conclaue, de more, abditi; nos ſemoti, & tantæ rei, quanta in diſceptatione verſari poſsit, exſpectatione ſuſpenſi, & moræ, paulo diuturnioris, metu ſolliciti. Verũ Spiritus Sanctus veſtras mentes noſtris votis, veſtra ſuffragia noſtris precibus, veſtras voces noſtris lacrimis tam felici conciliauit euentu, vt, Gregorio XIV. ad Eccleſiæ clauũ ſedente, qui illũ expetiuerint, elegiſſe, qui elegerint, expetiuiſſe videantur.

Duorũ fere menſium.

Qua vna re, quid, obſecro, multis abhinc annis eſt geſtum Romæ maius? Quid glorioſius? quid cõmendatius memoriæ hominũ ſempiternæ? Habitus eſt ſuus eximiæ probitati honos; tributũ laudatiſsimis actionibus debitum præmiũ; meritis in vniuerſum hominum genus plurimis, & maximis perſoluta merces ampliſsima. Excellit iã is honore, auctoritate, potentia, gloria, qui ingenio, doctrina, Sanctitate, virtutũq. omnium concurſu nihil prope cæleſtibus animis inferior eſt, & iudicatur. Quod quam paucis contigerit, hoc præſertim ſæculo, exemplorũ teſtatur in frequentia. Iure omnis ordinis, omnis generis, omnis ætatis, & fortunæ viri Deo Opt. Max. bonorũ omniũ auctori, tantas agunt gratias, quãtas eorũ mens, & cogitatio capere poteſt: iure exſultandi, ſibi gratulandi, dies feſtos agendi, tẽpla adeundi, Diuis omnibus pro Gregorij Pontificis incolumitate ſupplicandi nullũ finẽ faciunt. Vt enim æquũ non eſt tempore, & die tanti, & tam diuini memoriã beneficij definire, ſic huius gaudij non eadem, quæ ceterarũ rerũ, debet eſſe natura. Quiuis ardor animi aliqñ tandẽ refrigeſcit: impetus, interiecto ſpatio, frãgitur: dolor, quãuis vehemẽs, laceráſq. animũ, lõginquitate tp̃is, aut minuitur, aut mollitur: nulli citius irã remittũt, quã q facile iraſcũtur: deniq. nulla iucũditas eſt, q̃ nõ euaneſcat ſenſim ſemp, ſæpe ſine ſenſu. Sed hæc orbis Chriſtiani volupias ſic eſt animis infixa, vt euelli; ſic foras erũpere geſtit, vt coerceri non poſsit: ſic crebro in memoriã reuocatur, vt nullũ Sol diẽ nobis afferat, qui nõ ille idẽ videatur, qui nonis Decẽbris, felix, fauſtus, fortunatus illuxit. O vere beatũ illũ diem (huc enim iterũ recurrit animus) in quo cælum, nouo electo Ianitore, effuſe lætari, ſplẽdidiſsime, in orbẽ verti, rebuſq. humanis iucundius ſolito arridere viſum eſt. Sol ipſe, quaſi ſalutaturus eum, qui Iuſtitiæ Solem exprimere incipiebat, multo clarior, ac pulchrior luxit. Muta Tellus, quæ paulo ante mærens, in ſordibus, in ſqualore iacuerat, ſalutarẽ pacificatorẽ nacta, nouã, eamq. venuſtiſsimã faciem induit. Vrbs ipſa, & Vrbis ſeptem colles, ſuis, ſi rerũ natura ferret, cõuelli ſedibus, ad Sanctiſsimos beneficentiſsimi domini, indulgentiſsimi patris pedes ſe prouoluere, illiſq. oſcula, ſæpe repetita, figere velle videbãtur. Perpetuus Romanæ virtutis, & locupletiſsimus teſtis, atq; in vtraque fortuna comes aſsiduus, Tyberis rapidiſsimum ſuũ curſum, ac perennẽ retardauit,

Facile ſibi ad honorẽ virtus viam aperit.

Communis lætitia, & gratulatio.

Diuturnũ gaudium. Nihil perpetuum.

Cũ electus Sum. Pontifex.

tardauit,

tardauit,vt,nõ per partes,ſed totus,fieri ſi poſſet,tantæ aliquãdiu gratulationi felicitatis intereſſet. Atque hæc, & alia fortaſſe maiora inanima iſta, conſilij,& rationis expertia illo die,reliquis aũt,qui ſubſecuti ſunt, & ſubſequentur,diebus quid nos facere oportet,quibus Beatiſsimus Pater inexſpectatã ſemper lætãdi nõ occaſionẽ modo,ſed cauſſam,nec cauſſam tantũ, ſed neceſsitatẽ ẽt adfert? Admirabilis illa veterũ Pontificũ Sanctitas quotidie magis,ac magis ſuſcitatur:renaſcitur quodãmodo æquiſsimũ illud in Chriſtiani nominis hoſtes odiũ:acris, vehemẽs, nulli ſumptui parcẽs, nullũ recuſans laborẽ veræ religionis cõſeruandæ, atque in oẽs regiones prouehendæ cupiditas ſic viget,vt nunquã fere magis,& vllũ vnquã tẽpus ſit, quo tantorũ in nos meritorũ recordatio,ac fama moriatur?Cõmunis concordiæ,publicæ pacis,Chriſtianæ ſecuritatis,iuſtæ,ac nunquã non neceſſariæ ſtudiũ ſeueritatis,aptiſsima lenitate cõdita,reuiuiſcit; fiunt omnia bona renouata,multo illuſtriora,quã ſi nunquã obſoluiſſent;recuperata,multo iucundiora,quã ſi nunquã amiſſa fuiſſent, & non ſint futuræ omnes mutæ litteræ,ſi de Gregorij XIV.Põtificis,poſt hominũ memoriã optimi,laudibus cõticuerint? Nõ ſurda poſteritas, ſi rariſsimas illius,& exquiſitiſsimas virtutes ignorauerit?Nõ ingrata præſens ætas,ſi memoriam exanimo depoſuerit?Non inuida,ſi exſultãdi,& gaudio geſtiendi modũ vnquã fecerit? Etenim quãuis nihil eſt expetendum vehemẽtius,quã ſecunda, æquabilis,perpetuoq. ſibi conſtans fortuna felici rerũ, ſine vllo incommodo, ac prolapſione,curſu; tamẽ ſi nobis tranquilla omnia,placata,atque pacata,ſuperioribus annis,cõtigiſſent,incredibili quadã,qua nũc perfundimur,lætitiæ voluptate careremus. Eam vero tantũ abeſt,vt lãgueſcere S.D.N.prolixa imprimis,ac benefica natura ſinat,vt ẽt noua ſemper in omnes beneficia cõferens ſic foueat,vt augeat;ſic augeat, vt efficiat, vt, ne crebra quidẽ vſurpatione,& aſsiduo vſu, quo facile cuiuſuis oblectationis ſenſus extinguitur,nouitatis exſuat gratiã. Exſtat,& eminet,quod præſentes admirentur;quod imitentur poſteri;anni quod religioſe excipiant cõſequẽtes; æternitas omnis quod intueatur Põtificię perſonæ,ac muneris exẽplũ,& vlla ſit immodica lætitia?Habemus Pontificẽ,qui grauiſsimã cæli, terræq. molẽ tanta cũ laude ſua,tãq. inuſitata omniũ pœne gẽtiũ admiratione ſuſtineat, vt cuius ille vicẽ in terris gerit, is illi nõ optatã cõceſsiſſe, ſed quaſi debitã ſupremi Pontificatus dignitatẽ quodãmodo perſoluiſſe videatur, & vlla ſit intempeſtiua,& ſera gratulatio?Nõ id ſentiũt Chriſtiani Reges,ac Principes, qui p legatos,viros è tota ſuorũ nobilitate ſelectos, & diſertiſsimos oratores ad Sanctiſſimos Gregorij XIV.pedes procũbent:ei officioſe gratulabuntur: copias ſuas omnes,opes,ditiones,regna deferẽt:obedientiã,obſequiũq. præſtabũt. Id autem cum alter altero tardius,aut celerius faciet, omnes quidem hoc facere velle videbuntur,vt ad renouandã,inſtaurandãq. lætitiã, ſic ſe ex compoſito feciſſe teſtentur.veteri quidẽ Græcorũ more, qui ad apparatiſsimos,& magnificẽtiſſimos ludos, quinto quoque anno celebrari ſolitos, eo

Nulla ſera gratulatio. Quod iam facere cæperunt.

ordine accedebát, vt cũ feſſis integri, recẽteſq. ſuccederẽt, nũquã, o toto tẽpe, ludentiũ, & ſpectacula edẽtiũ alacritas intermiſſa langueſceret. Vni ſunt, & nimis, ꝑ dolor! multi, impietatis auctores, generis humani peſtes, turbines, atq. ꝓcellæ religionis, hæretici, qui in hac cõi lætitia in hoc affluenti gaudio, & inſperata felicitate intimorũ dolore ſenſuũ torquẽtur; inuidia diſrũpũtur. Petri Nauicula, quã immanibus abſorptã fluctibus efferatis animis concupiſcunt, vobis, Card. Illuſtriſs vigilantiſsimis nautis, & vtriuſq. nauigationis experiẽtiſſimis, & Greg. XIV. Gubernatore tã perito, tã induſtrio, tam nunquã cõniuẽte, nunquã a Cynoſura diuinæ legis, & voluntatis oculos amouẽte, nõ modo læta, & alacris vela pãdit, ſed etiã tali cæpit nauigatione vti, qualẽ vectores optare quidẽ facile poteramus, ſperare nõ item. Hæc res homines iſtos (ſi modo homines ſunt) mentis cæcitate demẽtes, excruciat, &, quod illos, ſi quid haberent ſanitatis, a rebellis animi cõtumacia ad diuinũ imperium, a diuturna peccandi conſuetudine ad ſanctiſsimæ legis obſeruantiã, & cultum traducere debuiſſet, hoc in impietate affirmatiores reddit, & obſtinatiores. O rem, veriſsimis lacrimis deplorandam! exiſtere homines tam ab omni humanitate derelictos, vt eos neque lenitas, & ſeſe vltro vel nõ quærentibus obijciẽs Beatiſsimi Patris clementia, & ad condonandũ propenſiſsima voluntas ad meliorem mentẽ alliciat, neque diuini numinis timor in officio cõtineat; neque iudiciũ, de quo cũ cogitant homines ſumma integritate, & innocentia, nõ ſolũ cõmouentur animo, ſed etiã toto corpore perhorreſcunt, a peſtifero ſenſu dimoueat? Num cæli cõſpectus beatitudinis, cuius ſpem ipſi, ipſi, inquã, ſua ſibi obſtinatione ꝑdiderunt, cupiditatẽ in eorũ animis accendit? Nũ amiſſæ dolor diuinæ gratiæ admutationem cõſilij, quæ tutiſsimus eſt pænitenti portus, impellit? O monſtra! o portẽta, omniũ, que aut aluit terra, aut ſol vidit importuniſsima! tanta ne amentia eſtis, vt nullis rationibus nixi, cõtra rationẽ pugnetis? tanta impudentia, vt, qđ in barbaris rideremus, id vobis magnæ apud veſtri ſimiles auctoritati, & gloriæ futurũ putetis? Quis furor eſt, Veritatẽ, ex altiſsimo cæli faſtigio interras demiſſã, & omni, quam vocant, demonſtratione certiorẽ, cõtẽnere, & peſtilentes errores, ſtulta mẽdacia, tenebras pluſquã cymmerias, cõſectari. Quæ rabies, belũ nefariũ, impiũ, & omni ſcelere imbutũ cõtra cęlũ ſuſcipere, oblatã pacẽ, honeſtiſſimas cõditiones ſuꝑbe reſpuere, Deũ ipſum, Deiq. inter homines munere fungẽtem ad certiſsimã perniciẽ veſtram irritare? Quouſque tandem abutemini diuina patientia? Quãdiu vos iſta cæcitas eludet? quamdiu iſte durabit cordis ſtupor? Sumite, ſumite per eum, qui pro noſtra ſalute atrociſsima quæque perpeſſus ẽ Cruce pependit, ſumite (dicã tertio) ad tempus ſobrij hominis cogitationẽm, & ſi quid inferi manes vobis reliquerunt humanitatis, cõſiderate, quæ ſint poſt vitæ exceſſum, ſtultis, perditis, omni flagitio imbutis, quos quidẽ a vobis primum nũmerare poteſtis, cõſtituta ſupplicia. Quid hoc eſt, pro Sũme Chriſte? ad Dei nutũ terra eluuione, vt olim, obruitur; exuſtione, vt aliquando, deformatur: montes in planiciem deducuntur: valles æquantur: cælũ tenebris obſcuratur;

Hæretici triſtes.

... etici Na... is.

Solis

Solis curſus retardatur: marini fluctus diducũtur, & humanis iter terreſtre veſtigijs præbẽt: vniuerſa denique natura, verens, ne ad ſuũ nihilũ redigatur, contremiſcit: & vos, qui multa hominũ millia fallaciſsimis artibus a veritate abduxiſtis; Sectas nefarias, ſeditiones, diſcordias, omnia, quæ humana fingi mente poſſunt, mala continentes, in mundũ induxiſtis, cædibus, incendijs, rapinis, ſtupris, inceſtis florentiſsima regna miſerabilẽ in modum deformaſtis, non irritatã illius vim, atque potentiam timebitis? nõ ſeueritatem, innocentiſſimo cuique haud leuiter formidandam, horrebitis? nõ æquiſsimi, cũcta animaduertentis, tacitas cogitationes explorantis, & minutiſsimarum etiam rerũ rationem repoſcentis, iudicis reputatione trepidabitis? Per vos (pudet dicere quales) extincta apud veſtros fides eſt; humanitas ſepulta, iuſtitia proculcata, exploſa religio, d riſa, quantũ in vobis fuit, diuina maieſtas, diuorũ omnium preces ludibrio habitæ; & tamẽ in vtrãuis aurem dormientis? & tamen, ne vos Cacodæmonũ princeps, cui ſtrenuam operam nauauiſtis, velut immanis, & truculẽta bellua, vno hiatu abſorbeat, vere bini, vt ne ſaltem trunci, ac ſtipites iudicemini? Quid exſpectatis amplius? num vt vos ſtimulis fodiamus? Hic, hic, ſi quid habetis hominis, vos lacerat. hic vos eruẽtat Põtificatus Gregorij XIV. qui cæleſti ſtans conſilio, maturitatem temporis, & occaſionẽ captans, eo rem perducet, vt, aut vobis ſit veritati cedendum, quod ſi me audieritis, celerrime facietis, aut gladio cadendum, quod minime vellem. Sed ſtultus ego, qui de felici S. D. N. Pontificatu, & orbis Chriſtiani lætitia, & gratulatione dicens, de re, ſcilicet, cælo, terræque gratiſsima ad miſerrimam, luctuoſiſsimam, & plane, niſi remedium aliquod diuinitus exiſtat, deſperatam oratione labor. Sentio me. Patres Ampliſsimi, vento, vt aiunt, loqui, dum, vt homines impudentiſsimos ſuorum ſcelerũ pudeat, laboro; mortalium omniũ audaciſsimos, & incredibili temeritate mentis elatos ab inſania reuocare; in ſempiternũ exitium præcipites ab imminenti clade ſubducere, nullis eorũ meritis adductus, ſed Chriſtiana tactus pietate, contendo. Non fuit tamen ab hoc loco ſanctiſsimo, nec ab hoc conſeſſu, religionis laude clariſsimo, nec ab hodierni celebritate diei proſus alienũ inter ſummi, ac optimi Pontificis laudes, eam vocẽ emiſsiſſe, quæ, quamuis apud ſurdas aures parũ, vel potius nihil profecerit; vos tamen, viros, omni dignitate principes, virtute, & maieſtate admirandos Heroas, ſit habitura teſtes, & vera dixiſſe, & ſalutaria monuiſſe. Ab illis ergo impudenter repulſus, a quibus libentiſſimis & auribus, & animis eram excipiẽdus, te vnum B. Petre, Apoſtolorum Princeps, appellabo. Tuũ eſt ab eo, qui tibi Eccleſiam ſuam laborioſe naſcentem, cõmendauit, quantũ auctoritate, quantũ gratia, quantũ precibus potes (potes autem plurimũ) tantũ contendere, vt excitet in iſtorũ animis, miſerabiliter infatuatis, teterrimæ vitæ animaduerſionẽ, expellat ab eorum mẽtibus horrendas inſcitiæ, & ſuperbiæ tenebras, quibus oppreſsi, verum diſpicere nequeunt. Deprehẽdant errorẽ ſuũ; culpã agnoſcãt; veniam petant; redeant iam in uiã: recipiant ſe ad Eccleſiã Romanã, verũ illud tabernaculũ, & æternæ ma-

ieſtatis

ieſtatis domiciliũ,inquo diuina mēs ſemper inhabitat; ad hanc arcã fœderis, oẽm Iuſtitiæ regulã,& ſalutaris diſciplinæ,atque legis præſcriptionẽ ſanɛ̃te,& qinuiolate cõtinentẽ.Cedat iam tandem impura, ac tetra ſuperſtitio ſanctiſsimæ religioni;cedat noxia falſitatis caligo ſaluberrimæ veritatis luci;cedãt nocturnæ coitiones, Sacra ſine cæremonijs,templa ſine Deo,cœtus ſine numine,& lumine Eccleſiæ Catholicæ.Quem operæ ſuæ vicariũ ſuppoſuit,eundẽ non ſolũ nobis ſeruet incolumẽ,illiq. parẽ cũ ipſius virtutibus, tum noſtris ſtudijs vſurã vitæ largiatur;ſed etiã efficiat,vt illũ omnes,aliter ſentientes, legitimũ diuinæ legis interpretem,cæleſtis viæ ducem,communis vitæ cuſtodẽ, ſalutis, & dignitatis vindicem agnoſcant,prædicent, nullo non honorum genere proſequantur.Hos Eccleſiæ principes, hæc ornamenta dignitatis, hæc præſidia ſtabilitatis noſtræ,hos flores omnium virtutum,& doctrinarũ,hoc, vt breuiter dicam,fœcundiſsimum Summorum Põtificum ſeminarium, in recto ſenſu confirmet,ſuo propitio numine protegat,& iuuet.Hanc ciuitatẽ,in qua ipſe præcipuã ſibi ſedẽ cõſtituit,vnde ea fundit oracula, quibus homines vitã cum ſumma integritate,& modeſtiã traducentes,eam vitã nanciſcuntur, quę reuera eſt vita nominanda,in eo ſtatu conſeruet,qui ſit maximo bonorũ omniũ conſenſu,& præclara infenſiſsimorũ hoſtiũ cõfeſsione,florẽtiſsimus.

Tu Vrbem hanc tuã feciſti tot,ac tantis nominibus,vt nec plura,nec maiora quiſquam, ne ſi mentiri quidem velit, poſsit confingere. In ea primũ Sanctiſsimæ ludum diſciplinæ aperuiſti, ẽ quo humanæ vitæ magiſtri,ac morum cenſores prodierunt tanta Sanctitate, vt non homines ex hominibus geniti, ſed ſpiritus quidam cæleſtes ducerentur,tanta conſtantia,vt ne quidem horribili, quæ vbique exercebatur, carnificina, a propoſito,ſuſceptaq. ſententia terrerentur. Diuturna deinde ſupremi Sacerdotij poſſeſsione; vt inter alia multa, meridiana luce clariora,illa eſt argumento Cathedra,quam P. Rom.hodierno die,vnus in terris rerũ ſacratarũ cultor acerrimus, ſuppliciter veneratur, Sedem Summi Pontificatus,Eccleſiæ caput,arcẽ fidei effeciſti. Effuſo,deniq; extremo ſpiritu ad eã dignitatẽ euexiſti, vt gens ſit Sancta; populus electus, Vrbs regia,amplior,illuſtrior,glorioſior religione cæleſti, quam ditione terrena. Tandem Oro, & obſecro (ne,cum reliquis bene precatus ſim, meã ipſe ſalutem,per ſummam imprudentiã,neglexiſſe exiſtimer) vt ſi ex vero,& ſolido locutus ſum animi ſenſu,quem,etſi ad exitum vitæ vocer, nunquam deponam,ea res mihi,clientulo tuo,diuinum auxiliũ impetret; præſidium tuũ, & tutelam comparet; honeſtum, & felicem in meã patriam reditum exoret: horum Illuſtriſs.Card huius nobiliſſ.& literatiſs. Concilij, huius humaniſs. atque ornatiſs. Coronæ ſtudia,animos,beneuolentiam,amoremq. conciliet.